


**Le Doux, Gaston. De triplici
præparatione argenti et auri. Ad
illustrem & generosissimum D.
Jacobum Laffinium, regii ordinis
equitem auratum, baronem
d'Aubusson. Authore Gastone Claveo
subpræsidente particulari Nivernensi.**

*Nivernis, ex officina Petri Roussin, typographi D.
Ducis Nivernensis & Rethelensis. M. D. XCII., 1592.
Cote : BIU Santé Pharmacie RES 11272 (3)*

DE
TRIPLICI
PRÆPARATIO-
NE ARGENTI
ET AVRI.

*Ad Illustrem & generosissimum D.
Iacobum Laffinium, regij ordi-
nis equitem auratum, Baro-
nem d' Aubusson.*


Authore Gastone Clauco subpræsidi
particulari Niuernensi.



NIVERNIS,
Ex officina Petri Roufsin, Typographi D.
Ducis Niuernensis & Rethelensis.

M. D. XCII.

meris, Nihilominus magno semper in honore
apud te fuere literarum studiosi, & arcanorum
naturæ perscrutatores acerrimi, præsertim in
Argyropœia & Chrysopœia. Nec laboribus &
sumptibus pepercisti, ut ab his, qui artem hanc
callere profitebantur, aliquid sæpius tentatum
fuerit. Scio multos apud te multis annis tuis
multis sumptibus plurima expertos fuisse, Pau-
cos viros probos, plures, qui montes aureos pol-
licerentur, nihil præstitisse, Quod plerumque a-
pud me condolui. Sed quoniam post multos per-
pessos labores, multasque impensas factas ple-
rumque prosperum aliquid solet occurrere, te
eorum, quæ paucis ab hinc diebus in manus meas
inciderunt, facere participem, idque etiam ex
promisso, mearum esse partium existimaui, ea-
que prælo commissio nomini tuo dicare. Quæ si
tibi grata & accepta intellexero, demonstrare
aliquando re ipsa conabor, saltem duas priores
auri præparationes. Quæ licet à nobis apertis-
simè descriptæ videantur, tamen in opere præ-
ctico vix ad exitum perducentur, nisi ab eo, qui
eidem operi conficiendo adfuerit. Bene, vale, &
vi soles nos amare, ama. Niuernis Calendis
Septembris, 1592.





DE TRIPLICI PRÆPARATIONE

ARGENTI ET

auri.



RGYROPOEIAE, *Finis Ar-*
 & Chrysopœiæ finis *gyropœiæ*
 & scopus est, vt argē- *& Chry-*
 tum & aurum progī- *sopœiæ.*
 gnatur. Materiam au- *Quæ sit ma-*
 tem aliquam subijci *teria in ar-*
 necesse est, quæ sit potentia proxima ad *piendā ar-*
 formam argenti vel auri suscipiendam. *genti aut*
 Hanc materiam esse argentum viuum *auri for-*
 tam vulgare quàm quod reliquis me- *mam.*
 tallis est insitum, euentissimis rarioni-
 bus & experimētis quibusdam in Apo-
 logia nostra probauimus: Nec repeti-
 tione opus est, ne tædiosa sit. Id quoque
 verissimum esse illustrissimorū virorū
 & aliorum testimonia fidem faciūt, qui
 multam argenti viui quantitatem in ar-
 gentum aut aurum mutatam oculis

A iij

conspexere proiecta in ipsum pauca lapidis philosophici quantitate.

*De forma
materiae
proximae
inseculpendae.*

2. Forma autē hāc quā materiae proximae inseculpenda est à causa efficiēte, de qua paulò post, non est substantialis, sed accidentaria, Inter quas multū interest, Substantialis enim praecipuam corporis mixti seu compositi partē constituit, & est in praedicamento substantiae, ab eaque mixtum corpus denominationem accipit, Et vnica est in quoque corpore suo, Et propriè forma dicitur. At forma accidentaria partē corporis non constituit, neque est in praedicamento substantiae, sed reliquis, Nec ab ea corpus mixtum nomen habet, & plures vni, eidemque corpori accidunt, vt quantitas, qualitas, &c. Et per se subsistere non potest, & semper est in subiecto aliquo, & re ipsa vel imaginatione aut intellectu adesse aut abesse potest ab eodem subiecto illa forma substantiali, vt sunt qualitates tam primae quàm secundae. Forma illa substantialis est actus prior corporis mixti, Accidentaria, actus posterior. Cū igitur argentum viuum, & reliqua metalla mu-

tantur in argentum aut aurum, forma substantialis illorum non perit, sed sola accidentaria: Et compositum non corrumpitur, sed perficitur. Non enim corrumpitur aut compositum seu subiectum, quin aliud generetur, & noua substantialis forma oriatur. Sed quoniam multos huic opinioni cōtradiēcturos præsensio, quod duæ formæ in eodem subiecto subsistere non possint, Quæro ab ijs an forma substantialis vix immaturæ sit eadem quæ maturæ, an diuersa? Puto eos responsuros eandem vtriusque formam esse substantialem: Et inchoatam dicere verebuntur. Atqui vix hæc immatura est, cum maturitate seu perfectione perfici possit. Ergo perfectio hæc non ad formam substantialem pertinet, sed ad accidentariam. At dicent, Quod antea fuit, & nunc non est, corruptum est, Ergo forma prior quæ erat in composito, periit, & nunc alia orta est. Sic dicent, argentum viuum, quod prius erat, corruptum esse postquam mutatum fuerit in argentum vel aurum. Quibus cōcedo, cum mutatum fuerit argentum viuum in argentum vel aurum, mutatio-

A iiii

nem, aut si velis corruptionem fieri accidentium priorum, & formam priorē accidentariam interire, & generationē fieri aliorum accidentium, & aliam formam accidentariam oriri in subiecto. At non propterea forma substantialis seu actus prior in argento viuo, euanescit, sed persistit, Et argentum viuū seu compositum, quod erat imperfectum, perficitur. In hac autem inutatione argēti viui tam vulgaris quàm eius quod metallis est insitum in argentum vel aurum, non omnia priora accidentia pereunt. Quae enim argento, auro & argēto viuo propria & communia sunt, non pereunt, sed persistunt. Haec autem sunt accidentia propria & his cōmunia, praesertim auro & argento viuo, Illorum compositum ab igne non corrumpi, nec exuri, humido vinctuoso cremabili & vrente omnino esse expertia, indissolubilem esse eorum mixturem in partes substantiales, Esse grauissima, Et si qua sunt alia: Sed quaedam tantum accidentia pereunt, quae non ad formae substantialis proprietatem pertinent, sed accidentariae, vt esse argentum viuum tenuē,

nue, liquidum, volatile & indefinitum. Cum enim fit crassum, solidum, fixum & concoctum, definitur & perficitur. Hoc igitur constans & ratum esto, argentum viuum, vel vulgare, vel quod metallis imperfectis inest sola forma accidentaria differre ab argento vel auro, non autem substantiali, Quæ tamen sensu non percipitur per functiones, sed ratione per intellectum, & quæ exinanitis prioribus formis accidentarijs quibusdam, quæ non ad substantialis formæ proprietatem sed accidentariæ pertinent, possit argenti & auri functiones omnes expromere, quæ sunt ignibus resistere, omniaque eorundem examina perpeti secundum vtriusque naturam. Satis de materia quæ est in potētia proxima apud artem, & de forma quam induit, postquam ad actum posteriorem peruenerit. Plura enim in superioribus à nobis æditis de his scripsimus.

3. De causa autem efficiente tractare luculentiùs constitui, vt si quid de hac à nobis minùs idoneè vel verè traditū fit, hîc suppleatur, & sarciatur. Efficiens causa est, quæ accidentariam formā ab

Causa efficiens apud artem.

B

argento viuo, vel eo, quod metallis est
 infitum abolendo ipsum perficit in ar-
 gentum vel aurum. Existimauerūt au-
 tem plerique solum ignem & calorem
 externum causam esse efficiētem, quip-
 pe quòd purgando heterogenea secer-
 nat, & concoquat. Huiusce opiniois
 author est Albertus Magnus libro de
 Mineralibus quarto, capite septimo, qui
 „ nō solum ex metallis sed ex omni cor-
 „ pore misto tria posse elici corpora pu-
 „ tat, in hac verba. Ex prædictis, inquit,
 „ omnibus elucescit aliququaliter secundū
 „ quam rationem plurimi halchemistarū
 „ asserunt de omni corpore elementato
 „ tria posse elici corpora, oleum videli-
 „ cet, vitrum & aurum. Patet enim ex sæ-
 „ pius habitis pingue quoddam humidū
 „ esse in omni elementato, quod circun-
 „ funditur partibus, Quod, quia viscosum
 „ est, euanescente humido aqueo distillat
 „ ab incenso corpore assato, eò quòd per
 „ optesin pellitur ab interioribus ad exte-
 „ riora, in quibus diutius defendebatur ab
 „ igne. Præterea in omni corpore misto
 „ est aliud humidum, quod est aqueum
 „ permistum terreo subtili, ita quod vtrū-

que tenet alterum, Et hoc fortissimè af-
 fatum sublimando se in poris corporis
 interioribus, quorum orificia exteriora
 clausa sunt, per combustionē quasi per
 duo se diuidit: Magis enim grossum &
 aqueum natat in superioribus corporis
 partibus, & per fortissimum ignem ef-
 funditur effusione vitri, & congelatur
 frigido in vitrum: Magis autem purum
 sublimatum propter caliditatem fit cro-
 ceum, & effunditur effusione auri, quod
 congelatur frigidō in aurum. For-
 tan quidam in imperfectè mistis me-
 tallis hoc experti sunt, Sed nihil a-
 liud quàm oleum & operam contriue-
 re, Minus in argento viuo euenire po-
 test, Tametsi Geber libro summæ per-
 fectionis diuturno igne ipsum coagu-
 lari & incrassari tradiderit. Puto autē
 ne hoc quidem intra trienniū fieri pos-
 se. Si autem ex imperfectè mistis me-
 tallis aurum proliceretur, per corruptio-
 nem & generationem hæc mutatio fie-
 ret. Atqui non per eas, sed per mistio-
 nem, vt in Apologia probauimus, & in-
 ferius iterum euentissimis rationibus
 confirmabimus, prolicitur.

B ij

4. Alij omnia salium, aluminū, atramentorum, & minorum mineralium genera calori igneo adiumento esse voluerunt. Hinc plurima cementorum genera, plurimæ, quas vocant, gradationes ab aquis acribus acerrimis distillatis inuentæ sunt. Verum hæc omnia, cum non sint ex materia metallorum, non magis miscentur, quàm solus ignis. Nec perficiunt, imò calori subsidio sunt, ut celerius metalla imperfectè mista corrumpantur, & in vitrum vertantur: Absumunt enim humidum, & exurunt terreum. Nolim tamen negare ex argento puro sapius cemento, quod ex sale communi preparato, & vitri, quæ alcali vocant, exposito, & in corpus reducto, aurum prolici, quod aqua acri separationis imo vasis subsidet. Reiteratione enim operis purgatur argentum, & cōcoquitur & definitur humidum, nec, quòd sit optimè mistum, à suo terreo sicco diuelli aut secerni potest, & idem siccum terreum, quod actu est candidū, potestate est rubrum, hac cōctione fit rubrum, & proprium humidum tingit in citrinum colorem. Verum condi-

menta hæc omnia piscibus sunt cariora.

5. Sunt præterea qui causam hanc efficientem in salibus à metallis imperfectè mistis prolicitis collocarunt, eosque iisdem cementis & gradationibus argento viuo aut iisdem metallis miscere tētauerunt. Sanè mitionem fieri posse nō ierim inficias, cum omnia hæc communem habeant materiam, & cōtrarijs pugnent qualitatibus. Vim autem argentificam aut aurificam habere non puto. Fateor profectò ex sale ab ære & ferro prolicito misto & obuoluto malagmati ex auro, argento, & argento viuo confecto coctione & reductione aurum augeri quantitate, vt in libro, De Recta & vera ratione progignendi lapidis philosophici tradidi. Verùm hac accretio adeò paucæ est quantitatis, vt impensæ superent opus. Si igitur omnes, qui hac tempestate in omnibus huiusmodi labores & nummos frustra impendunt, me in consilium adhiberēt, consulerem tantis laboribus & sumptibus esse parcendum, & vt sapere inciperent, nisi miseri & mendici etiam post

B iij

multos annos esse mallent.

*Quodnam
sit verum
subiectum
causae effi-
cientis.*

6. Verum & naturale causae efficiētis argētificae subiectū aut aurificae est argētū & aurū. In alijs corporibus aut rebus frustra quēritur aut speratur. Ignis est principium generandi & augendi ignis ex alio corpore. Argentum & aurum sunt principia argenti & auri generandi & augendi in proxima materia. Et in vniuersum sicut in omnibus omnium specierum seminibus natura vim propriam se ipsa propagandi inseruit, sic & in argento & auro se se augēdi, tametsi alia mutationis specie quā in animalibus & vegetabilibus conspicitur. In his enim causa efficiens primū corrumpt cetera in quae agit, & tandem in idem subiectum mutat & cōuertit. Argentum autem & aurum materiae proximae miscentur, eamque primò alterant, deinde perficiunt. Haec autem vis & facultas seu causa efficiens est proprietas quaedam, quae non est ex genere elementorum, nec qualitatum primarū aut secundarum eorundem, nec ab ijs traxit originem, sed à sola forma corporis mixti proximè fluxit, Et est extra

sensus humanos, nec sapore, nec odore, nec tactu, neque vlllo denique sensu nosci deprehendiue potest, sed sola obseruatione & experientia, quæ longo vsu verè stabilita sit. Itaque ignem neque arborem, neque animal gignere, sed vires & facultates, quæ in vnoquoque insunt semine generationis & propagationis authores esse, perpetua obseruatione deprehensum est. Quod si olim diximus in hisce corporibus inanimis ignem & calorem externum causam esse efficientem, de adiutrice intelligendum est, non de principe, quæ nō aliunde, quàm in argento & auro quærenda vestigandaque est. Fatendum tamen est subiectum principis causæ efficiētis nec perfici, nec perficere posse sine adminiculo & opera caloris externi.

7. Sed quæri solet, Cum vis illa argē-
 tifica aut aurifica insita sit argento & au-
 ro, & mistione eorundem cum materia
 proxima perfectionem consummari di-
 xerimus, Cur metallis aut argento viuo
 mista eadem non perficiunt? Non enim
 argentum viuum auro malagmate mi-
 stum perficit argentum viuum, sed hoc

*Cur aurū
 & argen-
 tum in na-
 tura non
 agunt in
 argentum
 viuum vel
 reliqua
 metalla.*

B iiij

igne in vaporem soluitur, qui tamē frigido rursus in argentum viuum redit, Aurum autem persistit. Sic plumbum igne liquatum cum argento vel auro non perficitur in argentum vel aurum, sed illud in examine cineritij secernitur, hæc autem in eodem persistūt. Nec est inutilis quæstio, imò quæ totum huiusce artis arcanum deregat, Cuius explicationem qui ignorat, eum in opere practico cæcutire necesse est. Quæstionis solutio hæc est. Forma in vnoquoque corpore primum est & præcipuum efficiens, in quo vis, facultas, & proprietas est occulta, per quam agit, sed quæ sola est inefficax ad agendum, nisi qualitatibus primis & secundis tanquam instrumentis instructa sit. Non secus ac artifex, qui statuam quidem anima effingere potest, at illam lapidi insculpere & oculis conspicuam reddere sine instrumentis non potest. Sic forma argenti & auri insitam quidem habet argentificam & aurificam vim & facultatem ex proprietate occulta, sed quæ est inefficax ad agendum nisi viribus qualitarum armata sit. Itaque argentum aut
aurum

aurum in natura sua non alterata non agunt in metalla aut argentum viuum, cum ijs miscentur. Existimaucunt autem plerique crassitiem argenti & auri causam esse propter quam proprietatem illam argentificam & aurificam exerere non possint in argentum viuum & metalla : Itaque si in spiritum & consistentiam tenuem reducerentur, aurum ex argento viuo & metallis imperfectè mistis generari posse. Sic enim cecinit Augurellus de metallis verba faciens.

*Quod si non sobolem educunt, nō cætera vertūt
In se se, causa est, quod multa spiritus illic
Materiæ abstrusus, vitam qui porrigit omnem,
Explicat agrè ex se vires, ni viuida virtus
Has hominum promat densa de mole latentes.*

Paulò post de auri spiritu subdit.

*Denique sic etiam fuluo detentus in auro
Ipse cupit manum artificis, qui vincula soluat.
Et qui se propria reddat virtute potentem.
Quod si quis properans hunc certis viribus vn-
quam*

*Explicet, atque diu tepido post incoquat igni,
Continuò aspiciet, visu mirabile, vitam
Auro impertiri longo cum seminis usu:
Nec deerit quin ex auro sibi procreet aurum.*

C

Geber etiam multis in locis docet reductionem diuerforum corporum in minimas partes miftionis & vera vnionis effe caufam. Nos autem cum Aristotele dicimus tenuitatem fubftantiae corporum non effe principem caufam miftionis, fed adiutricem tantum, ficuti nec fecundas alias qualitates. Miftionis enim verae hic ordo, haec eft lex. Primum vt miftilium corporum fit mutuus & mathematicus contactus, ifque in perexiguas partes, hinc vt agant & patiantur inuicem, idque æqualibus & pugnantibus viribus. At agunt & patiuntur corpora miftilia per qualitates primas & principes, quæ funt calidum, frigidum, humidum, & ficcum: Calidum enim agens in frigidum, & humidum in ficcum fefe perimunt. Solæ enim hæ qualitates principes agere & pati mutuo aptæ funt, Non item qualitates fecundæ, in quarum numero funt tenue & craffum. Sanè tenuitatem fubftantiae magnum qualitatibus principibus agentibus adiumentum ad agendum afferre certiffimum eft. Sed quemadmodum forma per qualitates primas

agit tanquam per instrumenta, sic principes hæ qualitates per posteriores agunt. Sic ex qualitatū principū contrariarum æquabili conflictu in communi materia, quæ naturâ in perexiguas partes diduci potest, resultat vera mistio & vnio diuersorum mistilium. Ipsa quidem argentum & aurum viribus caloris & siccitatis minùs instructa sunt, quàm vt frigiditatem & humiditatem argenti viui & reliquorum metallorum euincere possint. Crassioris etiam sunt consistentiæ quàm vt eorundem partes subire valeant. Igitur artis partes sunt extensos tantum caloris, siccitatis, & tenuitatis gradus in argento & auro, eosdem intensiores reddere, vt ijs veluti armis vis & facultas argentifica & aurifica instructa accidentariam quandam formam ab argento viuo & reliquis metallis abigat, formæ autem argentificæ & aurificæ conuenientem accersat. Sic & argento viuo & metallis imperfectè mistis, neque alia ratione, fit arte adiutrice verissimum argentum & aurum. Extensio autem qualitatū in subiecto aliquo est acquisitio

C ij

formæ alicuius accidentariæ per vniuersas partes eiusdem, quæ prius non erat in eodem subiecto, aut non in omnibus eiusdem partibus, vt cum frigida manus in omnibus partibus aut aliquibus tantum fit calida vndequaque. Intensio autem fit, cum gradus formæ accidentariæ iam in toto subiecto actu existens maiorem vim acquirit, vt cū manus iam calida maiorem vim & gradum caloris acquirit, manente tamen prioris caloris gradu. Tunc igitur intenduntur vires argenti & auri, cum caloris, siccitatis & tenuitatis substantiæ in eorum subiecto iam actu existentes incrementum suscipient. Et quò fuerint intensiores, eo promptius & acutius forma argentifica aut aurifica aget in materiam potestate proximam, & plures eiusdem partes in verissimum argentum vel aurum perficiet. Hæc autem intensio gradus qualitatum in argento vel auro ex eorum diuersa præparatione dependet, quæ tota & præcipua Argyropœiæ & Chrysopœiæ pars est, In quam eiusdem artis studiosos omnes conatus omnemque operâ col-

locare oportet. Causa hæc est quæ nos impulit his nouissimè æditis titulum præscribere, De triplici argenti & auri præparatione. Scio plures pluribus & ab his diuersis præparationibus uti, quæ si ad intensiõis gradus qualitatũ in argento & auro augēdos dirigantur, bene quidem. Sed eas quæ tum authoritate, tum ratione, partim experimento nituntur, mox explicare decreuimus. Breuibz tamen & concisis verbis, ne tanta naturæ arcana & mysteria indignis, impijs & irrisoribus impertiantur.

8. Prima præparatio est argenti & auri in calcem reductio. Quæcunque enim calcinata sunt, hac coctione calidiora, sicciora & tenuiora euadunt. Exemplum est euident in calce lapidis. Argentum igitur & aurum, quæ imbecillioribus erant viribus, priusquàm in calcem redigerentur, & ad agendum inualida erant, calore, siccitate & tenuitate intensioribus hac calcinatione quæsitis & comparatis ad agendum efficacia redduntur. Calcinantur autem, cum ex eis fit malagma cum argento viuo,

Calx argenti & auri.

DE TRIPLICI PRAEPARAT.
quod corio exprimitur, Sic superest glo-
bus ex utroque quod per corij meatus
non effluxit. Admiscetur globo quid-
dā quod est ex argēti viui natura. (Ne-
que omnia in vulgus profundere ratio
suadet.) Et trita omnia in vas vitreum
coniecta cōcoquantur, dum vi ignis ar-
gentum viuum & quodd ex illius est na-
tura expirauerint, relictā calce argenti
vel auri in vasis imo. Toties hāc cal-
cinatio repetenda est, dum calx in pul-
uerem tenuissimum abierit omni luce
carentem. Tandem sal ammoniacus
prius sublimatione perfectē purgatus ad-
miscetur eorum calci, rursusque quater
aut pluries sublimatur, ut maiorem etiā
caloris, siccitatis, & tenuitatis gradum
calx acquirat. Sed hic intensiois qua-
litatum gradus & praeparatio ceteris in-
firmior est. Non enim calx metallicam
exuit omnino naturam, crassitiemque
illius aliqua ex parte redolet: Et igne
fusorio in corpus liquata rediret. Id-
circo non omne argentum viuum pro-
miscuē perficit in argentum vel aurum,
sed illud tantum, vel quod naturā con-
coctum ab imperfectē mistis metallis

arte eductum est, vel vulgare, quod à frigiditate & humiditate nimia vindicatum est, scilicet saepius sublimatum, & quasi mortuum lateribus vasis adhærens, deinde viuum & fluidum redditum. Modus agendi est, vt ex tribus vtriusvis argenti viui partibus & vnica calcis argenteæ vel aureæ fiat malagma aut mistio, deinde in vas vitreum aptum coniecta imbecillo primùm calore, deinde aucto sensim concoquantur. Varios subinde videbis vtrumque mistum induere colores, dum tandem argenteæ calcis & argenti viui mistio colorem cinereum aut subalbidum, aureæ verò rubrum colorem contraxerit, & in puluerem tenuissimum & impalpabilem vtrumque opus abierit. Et mirum est, idem argentum viuum ex diuersæ calcis mitione diuersum sub finem coctionis induere colorem. Quod etiam de differenti densitate & grauitate alterutrius magis mirandum est, vt vidimus. Calx enim aurea cum argento viuo concocta densior & grauior est, calce alba eiusdem molis. Mirari autē desinet qui coloris aut grauitatis diffe-

rentiam non ab elementis argenti aut auri nec eorundem qualitatibus sed à forma eiusdem argenti & auri primùm & proxime proficisci prospiciet. Hoc animaduertendum est argentum viuum ex argento arte prolicitum & calci aureæ admistū celerius in aurum coctione perfici. Quòd enim magis ad maturitatē accedat, minùs resistit calci agenti.

Sal & oleum ex argento & auro.

9. Secunda præparatio est calcis argenteæ vel aureæ in salem fusilem atque hinc in oleum reductio. Prolicitur autem sal ea arte & methodo qua ex omnibus corporibus mistis calcinatis solet fieri. Primùm enim fit lixiuum, quod filtro sæpius purgatum calore leui coagulatur. Quod subsidet exhausto aqueo humore, verè est sal aut salis naturam habens, qui sapore deprehenditur, & in omni liquore frigido & humido soluitur, quòd calore sicco concreuerit. Sed quemadmodum mista corpora diuersorum generum & specierum diuersis & varijs prædita sunt facultatibus, sic & ex iisdem proliciti sales. Itaque ex argento & auro educti vim & facultatē habent argentificam & aurificam, sed quæ

quæ longè præstantior & efficacior est, quàm eorundem calx. Hac enim præparatione ab impura fece vindicantur, Est enim sal terra purissima, & in naturam quandam igneam deurgit & nobilitatur. Et quò pluries hi sales filtro purgantur & coagulantur, eò maiores vires consequuntur. Sed vt maior tenuitas eis comparetur, post multas solutiones & coagulationes, in oleum sponte per se frigido & humido loco expositi soluuntur. Rursus calore sicco leni hæc olea coagulantur: Et hæc opera identidem repetuntur, dum calore sicco imposterum coagulari non possint, sed vt oleum iuglandis aut oliuarum calido aut frigido loco exposita non concrecant, sed fluida persistant. Hæc olea permista argento viuo vulgari ipsum coctione primùm leni deinde aucta octo dierum spatio perficiunt in argentum vel aurum secundum alterutrum olei naturam. Dosis non nisi experimento discitur. Inest autem oleo huic aurifico alia vis & facultas, Si enim septem vnciæ argenti viui septies perfecte per sublimationem purgati vnicæ

D

DE TRIPLICI PRAEPARAT.

· vncia olei admisceantur, & saepius detrudatur deorsum quod sursum vi ignis elatum & concretum fuerit, tandem figetur cum oleo, & in feruenti igne vt oleum persistet, depositū verò ab igne, vt gelu constringetur. Poterit etiam sine sublimatione lento calore concoqui illum augendo dum nihil exhalet vi ignis. Huiusce coagulati vncia vna in argentum purum coniecta ipsum in aurum purissimum perficiet. Sed argenti quantitas & dosis sola etiam experientia praescribi potest. Quò enim exquisitior vel negligentior fuerit praeparatio, eò plures aut pauciores argenti partes mutabit. Signum perfectionis tam olei quàm sublimati cum oleo fixi erit, si granum alterutrius in laminam igne candentem proiectum se se subito fuderit, vt cera sine fumo, partesque illius internas subierit, & colore argenteo aut aureo infecerit, non secus ac oleum papirum celerrimè penetrat. Hoc oleum est medicina secundi ordinis coagulans argentum viuum, De qua Geber in hac verba, libro Summae perfectionis. cap. xxvj. Argentum viuum, cum fugitiuū

fit de facili sine inflammatione aliqua, „
 medicina eget, quæ subito ante fugam „
 eius in profundo illi adhæreat, & illi „
 per minima coniūgatur, & illud inspif- „
 set, & sua fixatione illud in igne conser- „
 uet, quousq; adueniat illi maioris ignis „
 tolerantia eius humiditatem consumē- „
 tis, & conuertat illud per hoc beneficiū „
 in solificum & lunificum verum, id est „
 aurum vel argentum, secundum illud „
 ad quod fuerit medicina præparata. Et „
 alibi sic ait, Ex hoc manifestè relinqui- „
 tur, ex quacunque re medicina illius e- „
 licitur, ipsam necessariò debere esse sub- „
 tilissimæ & purissimæ substantiæ, illi „
 adhærentis ex natura sua, & facilimæ „
 liquefactionis, & tenuissimæ ad modū „
 aquæ, & fixæ super ignis pugnam. Hæc „
 enim ipsum coagulabit, & in naturam „
 solarem vel lunarem conuertet. Hoc „
 sanè oleum has omnes habet proprie- „
 tates & qualitates. Quid enim oleo sub- „
 tilius & purius? Quid magis adhæret „
 argento viuo quàm argentum & aurū, „
 præsertim aurum? Quid liquefactionis „
 facilioris ipso oleo, quod fluxile est? „
 Quid tenuioris consistentiæ hoc oleo?

D ij

Quid ipso fixius esse potest, cum ex argento & auro, quæ omnem ignis vim tolerant, effluxerit? Nihil verò aliud edocent Raimundi Lullij scripta quàm olei huiusce ex argento & auro faciendi rationem, sed alia via. Destillatione enim ex omni genere salium, aluminum, calcanti, minorum mineraliū, quin & ex metallis ipsis aquas prolicit, quarum vi acerrima argentum & aurū prius calcinata soluit, hinc lento igne coagulat, & crassiore & efficaciorē harum aquarum partem (quam spiritū quintæ essentiae appellat) vnā cum argento vel auro figi & vniri ait, & in oleum verti: Cui deinde admiscet septuplum argenti viui sublimati perfectissimè purgati, & repetita sublimatione figit. Sed vereor, ne harum aquarū spiritus figi aut vniri possint cum argento aut auro, seu quòd diuersæ sint materiae, seu quòd metallicæ naturæ proportionem exuerint. Idcirco maluimus solo igne solum argentum & aurum in oleū mutare, Quod iuscijs & inexpertis operosum, scientibus & expertis est facilimū. Oleum autem hoc nostro modo

paratum omnis alterius rei aut corporis
externi & suspecti expers est, & verum
est aurum potabile, quod multis morbis
desperatis remedium est accommoda-
tissimum, si vera sunt, quæ de auro po-
tabili referunt: Quæ affirmare non au-
sim, quod nostræ professionis, & Chry-
sopæiæ artis limites prætergrediantur,
& medicorum iudicio relinquenda sint.
Sed velint nolint, certum & experimen-
to à nobis probatum est, aurum solo
igne in oleum verti posse, quod nusquā
posthac in aurum rediturum sit, nisi ve-
lut tinctura aurifica argento viuo aut
argento puro misceatur, eaque perficiat.
10. Tertia & postrema auri præpara-
tio (De præparatione argenti subdice-
bo, quod illa vtriusque vires gerat) lō-
gè intensioribus viribus & facultatibus
superiores superat. Hac enim præpara-
tione spiritus ex auro in sublime ad la-
tera vasis proprii igneo calore fertur,
non secus ac ex lignis fuligo. Qui spi-
ritus deinde coctione in lapidem pri-
mò album, postremò in pulverem ru-
brum figitur. Hic pulvis est verus sal
aurificus & lapis philosophicus seu tin-

*Lapis phi-
losophicus
seu tinctu-
ra aurifica
aut sal au-
rificus.*

D. iij

etura aurifica. Cuius vis & facultas est,
 sola projectione in omne cuiuscunque
 generis argentum viuum omniaque re-
 liqua metalla in aurum perficere. Tan-
 tas autem & tam admirabiles vires spi-
 ritus hic consequitur, quod hac subli-
 matione aetheream atque igneam na-
 turam induit, & omnem impuritatem
 & terrenam fecem exuit, A qua tanquã
 à compedibus exolutus argentum viuum
 ex metallis inuoluat diducitque, & idẽ
 necnon argentum viuum vulgare con-
 coquit, definit, tingit & perficit in aurũ.
 Idquẽ statim & vnico momento. Quæ
præstare non potest auri oleum nondũ
sublimatum, minus calx auri, nihil au-
tem omnino argentum aut aurum in
natura nondum alterata. De methodo
 & ratione euehendi huiusce spiritus au-
 ri in sublime multi multa scripsere. Nos
 modum, qui expeditior, faciliior, magis-
 que rationi consentaneus est, & ex Ge-
 bri sententia narrabimus. Misceatur o-
lei aurifici vncia quatuor vncijs argenti
viui perfectissimẽ longa contritione, vt
in perexiguas partes misceantur. Con-
 iijce mista in ampullam vitream luto

obstructam, Et imbecillum primū ignem subijce, deinde violentum & subitum duodecim horarū spatio. Infrigidatum vas frange, & conspicias in superiori vasis parte argentum viuum sublimatum rubrum. Sublimatū enim argentum viuum ob similitudinem totius substantiæ trahet secum partē spiritus aurifici, quem sulphur appellant, Quod veluti sulphur vulgare coctione & sublimatione tingit argentum viuum in colorem rubrum, & ex utroque fit cinnabaris, sic ex hoc auri spiritu & sublimato argento viuo fit sublimatum rubrum. Quod si non totus olei spiritus conscenderit, misce ei quod subsederit vasis imo nouum argētum viuum sublimatum, Et rursus sublima, Et hac eadem opera repete, dum totum ferè oleum in spiritum sursum feratur. Dixi, ferè, feces enim quædam impuræ subsidebūt, quæ vt inutiles abijciendæ sunt. Hic auri spiritus & argenti viui est vera lapidis nostri philosophici materia proxima, quæ sola coctione figitur, & in salem spiritualem fixum vertitur ijs caloris gradibus quos præscripsimus

D iij

posteriori nostro libello, De recta & vera ratione progignendi lapidis philosophici, ad quem lectores relegabo.

De accretione cal- II. Superest paucis perstringere de accretione calcis argentæ vel aureæ, olei *cis, olei, & argentifici vel aurifici, & lapidis aurifici.* Cum primum igitur calx argenti *lapidis philosophici.* vel auri in se se mutauerit argentum viuum ex metallis imperfectè mistis educatum, vel argentum viuum perfectissimè prius purgatum & sublimatum, rursus calcinanda est, eique admiscendum nouum argentum viuum ab imperfectè mistis metallis prolicitum, aut sublimatum vulgare, & coctione prioribus caloris gradibus obseruatis figenda. Nec dissimili ratione sublimatum argentum viuum fixum cum oleo argenti vel auri augetur quantitate, si calcinetur & in oleum vertatur, eique rursus nouum sublimatum admisceatur, & coctione figatur. Sic & de accretione lapidis philosophici in sola quantitate iudicandum est. Nō secus ac grana frumenti sata augentur & propagantur in infinitum. Nec mirari quenquam oportet, si eandem materiam esse dixerimus
accretio-

accretionis calcis argenteæ & aureæ, quam & olei & lapidis philosophici, scilicet argētum viuum ē corporibus imperfectis eductum aut vulgare sublimatum. Pluribus enim diuersarū specierum feminibus in terram iactis vnicum est alimētum, quo crescunt & propagantur, & vnaquæque species feminis attrahit in seque mutat alimentum. Sic & alimenta eadem vertuntur in corpora diuersarum specierum animalium, quæ ea depascuntur. Sic argentū viuum præparatum est veluti alimentum tam calci argēteæ vel aureæ quàm vtrique oleo vel lapidi philosophico. Et cui accrescit, illius naturam substantiam & formam induit. Tametsi vegetabilium & animalium alimēta per eorum corruptionem & generationē mutantur, Argentum autem viuum per mutationem. Sed non sola quantitate lapidis nostri philosophici moles accrescit, verū etiam eadem viribus & facultatibus simul. Scilicet si lapis philosophicus iam in lucem æditus rursus in oleum soluatur, quod rursus addito sublimato nouo argento viuo violento &

E

præcipiti igne euehatur in spiritum, qui
 rursus prioribus caloris gradibus sensim
 figatur. Et quò pluries iterabitur opus,
 eò plus incrementi molis & virium ei
 accedet. In hoc ordine solutionis, sub-
 limationis, & fixationis compleri ait Ge-
 ber arcanum, quod est supra omne ar-
 canum scientiarum totius mundi, &
 thesaurum esse incomparabilem.

*Mutatio-
 nē argenti
 viui & im-
 perfecte
 mistorum
 metallorū
 fieri per
 solam mi-
 stionem, nō
 autem per
 alias mu-
 tationis
 species.*

12. Id quoque reliquum est, scilicet
 vt euidentissimis demonstrationibus
 probemus mutationem argenti viui tā
 vulgaris, quā eius, quod metallis est
 infitum, fieri per solam misionem, nō
 item per alias mutationes, & paulò v-
 berius de eadem misione differere,
 quā in superioribus à nobis æditis.
 Multa enim sunt, quæ aduersus hæc di-
 ci possunt. Primum enim omnis muta-
tio est aut in substantia, & appellatur
ortus & interitus seu generatio & cor-
ruptio, Aut in quantitate, & appellatur
Augmentatio seu accretio, & nutritio,
vel diminutio & decretio, Vel in qua-
litate, quæ vocatur Alteratio, Vel in lo-
co, quæ propriè motus est, non autem
mutatio. Igitur sub aliqua harum mu-

tationum specie, saltem trium priorum mutatio fiet argenti viui & reliquorum metallorum in argentum vel aurum, nō autem per miftionem. Præterea, cum dixerimus aurum in calcem reductum, rursus fusione in aurum redire posse, huiusce mutationis species erit alteratio, Quòd autem augeatur calx illa additione argenti viui, erit accretio. Deinde cum vertetur aurum in calcem, calx in salem, sal in oleum, oleum in spiritū, rursus spiritus in calcem, hæ omnes mutationes dicentur sub generationis & corruptionis specie contineri. His & similibus, quæ obijci possunt respondeamus ex Aristotelis & cæterorum omnium philosophorum autoritate miftionem esse, & sub mutationis genere contineri, & ab alijs speciebus differre. Quod vt perspicuè magis intelligatur, animaduertendum est hæc in miftilibus & miftione conuenire & concurrere, quæ non omnia in cæteris mutationibus conueniunt, nec concurrunt. Primum, vt quæ miscentur, actu & per se separata sint & subsistant, priusquā misceantur: hinc vt communis sit eorundē

materia : Deinde vt se tangendo & cū
 miscentur, agant & patiantur inuicem
 per qualitates principes contrarias: Item
 vt in mistione neutrum corrumpatur,
 aut pereat, nec se se perimant, sed utrū-
 que alteretur, & agentis & patientis vi-
 res vtrunque infringantur, & ad certum
 temperamentum reducantur, vt hinc
 argenti & auri forma profiliat, Agentis
 autem subiectum perficiat, patientis, pa-
 tiatur. Postremò, vt ex mistis alteratis
 consurgat corpus vnius formæ naturam
 vtriusque redolens, quod tamen nec a-
 gentis nec patientis sit subiectum prius,
 sed tertium quiddam. Idcirco definit
 Aristoteles mistionem esse mistilium
 alteratorum vnionem. Quæ omnia de
 vera mistione intelligenda sunt. Licet
 autem de simplicium corporū mistio-
 ne ex qua mistum corpus oritur, videat-
 ur dixisse Aristoteles, habere tamē ma-
 ximè locum in mistione seminis nostri
 argentifici & aurifici, & argenti viui &
 metallorum, quæ iam mista sunt corpo-
 ra, manifestum est. Primùm ea omnia
 per se actu separata sunt, & subsistunt
 ante eorum mistionem. Communem

etiam habent materiā, Sunt enim omnia argentum viuum, sed aliud alio est perfectius : Imò accidentarijs tantum formis differre probauimus. Contrarijs etiam pugnant qualitatibus. Semē enim calidum est & siccum, argentum viuū & metalla, frigida & humida, si nō actu, saltem potestate, vt de medicamentis dicunt medici. Itaque cum se tangunt & miscentur, agunt & patiuntur inuicē. Tenuitate etiā & crassitie essentie sunt contraria, Semen enim tenue est, quod necesse est, vt vim habeat subeundi partes argenti viui & metallorum, hęc verò crassissima, vt in hac qualitate metalli naturam retineant. Præterea in mitione neutra corrumpuntur, nec pereunt, nec se se perimunt, sed vtrumque alteratur. Post perfectam enim mitionem tinctura feminis argentifici aut aurifici conspicitur in argento viuo aut metallis mutatis, hæc autem mutata permanent argentum viuum vt ante mitionem, sed definitum & concoctum: Sed & metalla mutata in argentum vel aurum, metalla permanent, nec in mutatis illis genus metalli perit. Porro infrin-

E iij

guntur vires & facultates tam seminis
 seu tincturae agentes, quàm argenti viui
 & metallorum patientes, & resistentes,
sed illud agendo perficit, hoc patiando
perficitur. Postremò quod ex hac actio-
 ne & passione confurgit mistum cor-
 pus, nec est semen aut argentum viuum
 aut metallum tale, quale antè mistionē,
 sed tertium quoddam, scilicet argētum
 vel aurum, quod vnicam habet formam
 substantialem & accidentariam, scilicet
 argenteam vel auream: Et tertium hoc
 corpus naturam vtriusque quodammo-
 do redolet. Hęc autem omnia in cate-
 ris mutationis speciebus non conuenire
 sensus demonstrat. Quæ enim generāt
 & corrūpunt & quæ generantur & cor-
 rumpuntur, actu quidem per se subsiste-
 re possunt ante generationem & cortu-
 ptionem, vt ignis & lignum, at illorum
 non est communis materia, sic nec ani-
 malium & alimētorum, quæ in ea mu-
 tantur. Cum autem se se tangunt, Ignis
 in lignum, & animalia in alimēta agūt,
 & nihil patiuntur, lignum autem & ali-
 menta patiuntur tantum, nèc resistunt
 aut reagiunt. Quòd si in agentibus illis

repasitionem aliquam admittamus, ipsa solo hoc tempore inducetur, quo agūt: Cessante autem repasitione ad pristinas vires redibunt, Vt calor animalis agendo in alimēta aliquid repatitur, peracta autem coctione pristinas vires induit. Præterea quod corrumpitur, perit omnino, & ex Ente fit non Ens, Quod item generatur, non præexistebat, & ex non Ente fit Ens. Lignum enim quod vstione fit ignis, corrumpitur, & generatur ignis, Et fit, vt dicunt resolutio omniū accidentium ad materiam primam, nec aliquod accidens conspicitur in genito quod erat in corrupto, priusquam corrumperetur. Quapropter non dicimus lignū misceri igni. Nec in vtraque generatione & corruptione vires aut qualitates generantis aut corruptentis & corrupti & geniti vtriusque infringuntur, sed illæ permanent, hæ percutiunt. Nec ex actione corruptentis & generantis fit tertium vtriusque naturam redolens, sed vel corruptum mutatur omnino in generans, vt lignum in ignem, & alimenta in corpus animalis: Vel si vires sint æquales, vtrumque perimitur.

E iiii

& tertium generatur, quod ab vtriufque natura est alienum, vt in simplicibus corporibus, cum ex aqua & igne fit aer, & in mistis, cum ab igne resoluntur in fumum & cineres. Hęc enim resoluta pereunt, nec priorum accidentiũ quidquam superest. Eadem differentię est ratio in ea mutationis specie, quę dicitur Augmentatio seu Accretio, & in animalibus & vegetabilibus etiam Nutritio, à mutationis specie quę dicitur mistio, Quatenus eius, quod auget aut nutrit, spectatur mutatio: Corruptur enim, & quędam partialis generatio dicitur, Sed quod augetur, aut nutritur, aut imminuitur, idem permanet corpus post accretionem, nutritionem, aut diminutionem, quod pręexistebat, Et sola illius mutatur quantitas: Quod in mitione non accidit. Argentum enim & aurum ex argento viuo & metallis ante hanc mutationem non pręexistebat. Discrimen autem inter alterationem & mitionem, est quod qualitates quę alterant, sunt accidentia, & nusquam per se seorsum subsistere possunt, sed semper substantijs inhærent, Idcirco

Idcirco non miscentur. At quæ miscentur, substantiæ sunt separatæ & seorsum subsistunt, vt semen argentificum vel aurificum, & argentum viuum, & metalla imperfectè mista. Vera enim mistio est corporum, at temperamentum, solarum qualitatum. Quod autem de argenti & auri accretione diximus, cū eorum calx miscetur argento viuo ex imperfectè mistis metallis educto, aut ex vulgari paululum à frigiditate & humiditate arte vindicato, non eò pertinet, vt de vera accretione intellexerimus, in qua idem corpus permanet post accretionem, quod præexistebat, sed quoniam hæc calx parum abest ab argenti & auri natura. Et in ipsa quidem igne fusorio rediret, sed fragilia aliquatenus essent, propter humoris quidpiam exhaustum in calcinatione, Quæ tamē facile ductilia fierent iniecta argenti viui sublimati pauca quantitate in ipsa liquata. Sed & si concedatur mutationem hanc aliquam esse accretionis speciem, tamen magis ad misionem pertinet, Tum quòd calx per alterationem diuersam quandam habet naturam, vi-

F

DE TRIPLICI PRAEPARAT.

res & qualitates ab argento & auro nō alteratis, Tum quòd argentum viuū in miftione cum hac calce non corrūpitur, fed perficitur, & ex amborum miftione refultat quoddam tertium, quod neque calx eft, nec argentum viuū, fed puluis qui fufione liquabitur in argentum vel aurum. Idem autem puluis coctione longiori & vehemētiori, priusquam liquetur, calx fieri poterit. Quin & ijsdem omnino rationibus quæ de accretione vtriusque calcis & olei in fola quātitate, vel lapidis philosophici aut falis aurifici in quantitate & viribus fimul diximus, magis ad miftionē quàm accretionem pertinent. At quæ mutatio eft argenti viui & metallorum reliquorum in argentum vel aurū per auri oleum aut lapidem philosophicum verius & conſpicuè magis per miftionem fieri dicitur. Oleum enim & lapis philosophicus longiùs ab argenti & auri natura abſunt quàm calx. Quòd ſi mutationis eorum, quæ miſcentur, habenda ſit, ratio priusquam miſceantur, concedendum eſt mutationem argēti vel auri in calcem, oleum, aut lapidem philoſo-

phicum esse alterationem tantum, Quæ-
admodum si argenti viui & reliquorum
metallorum mutatio in argentum &
aurum seorsim & sine mistione sola co-
gitatione comprehendatur, sola erit al-
teratio. Sed post mitionem perfectam,
non erit vtriusque sola alteratio, sed di-
uerforum alteratorum vnio sub vnica
misti forma.

13. His addam quæ ad mitionis tra-
ctatum pertinent, quæ etiam alio loco
dicta sunt, scilicet æqualitatem oportere
esse contrariarum qualitatum princi-
pum eorum quæ miscentur, scilicet se-
minis argentifici aut aurifici & argenti
viui & metallorum imperfectorum.
Quam æquabilitatem non magnitudi-
ne molis aut pondere metiri licet, sed
potestatis vi & efficientia. Quod dilu-
cidiùs demonstratione explicandū est.
Corpora stateris pendere posse nemini
est dubium, & quæ plus minùsne pen-
dent, oculorum iudicio discernere. At
qualitates primas, scilicet calidum, fri-
gidum, humidum & siccum, quæ iisdē
corporibus insunt, stateris librare est im-
possibile; Sed quantæ fuerint, sola po-
F ij

*Quomodo
intelliga-
tur æqua-
litas con-
trariarum
qualitatum
in mistis.*

DE TRIPLICI PRAEPARAT.

testate & efficientia iudicatur. Itaque subiectum corpus tam causae efficientis id est argentum & aurum, aut quod ex his alteratum est, quàm patientis, id est argētum viuum & metalla, trutina pendere licet, eorundem verò qualitates nequaquam. Cum autem eadē causae efficientis & patientis subiecta miscentur, non est necesse ipsa eiusdem esse molis & ponderis. Nam & substantiae quatuor simplicium corporum, id est elementorum, cum miscentur, vt ex eis mistum oriatur, non sunt æqualis ponderis aut molis, Plus enim terrae substantiae inest auro, quod ex gravitate dignoscitur, quàm aque, minùs aere, quàm harum, minùs autem igneae quàm reliquarum. Sed tam simplicium corporum quàm mistiliū, quae rursus miscentur, qualitates contrarias gradibus æquales esse oportet, vt eadem subiecta ad temperamentum reducantur. Vt puta, si calx, oleum, aut lapis philosophicus vno gradu sint calida, sicca & tenuia, Vno etiam gradu argentum viuū vulgare aut metallis insitum, frigidum humidum & crassum esse oportet. Si

illa pluribus gradibus caloris, siccitatis & tenuitatis intensis validiora sint, pluribus etiam hæc gradibus contrariarum qualitatuum, æqualibus tamen, pugnare necesse est. Hoc temperamentum non ponderis sed iustitiæ solent appellare medici. Ex subiecti tamen patientis mole aut quantitate grauiori vel leuiori qualitates eiusdem maiores aut minores erunt in extensione non autem in intensione. Vt puta, si argenti viui vnius vnciæ gradus frigiditatis sit vnus, vnciarum duarum duo erunt gradus, si trium, tres, & sic deinceps. Aliter autem se res habet in subiecto causæ efficiētis. Ex varia enim eiusdem præparatione qualitates caloris siccitatis & tenuitatis etiam in vno vnius molis & ponderis subiecto plus minusne intendi possunt. Idcirco vnius vnciæ lapidis philosophici longè plures & intensiores sunt gradus qualitatuum agentium, quàm vnius vnciæ olei, & huius quàm vnius vnciæ calcis. Vt autem iusta sit proportio vtriusque subiecti agentis & patientis, supponatur subiectum agens, vt calcem auri pendere vnciam vnā, caloris au-

F iij

tem siccitatis & tenuitatis gradus huiusce vnciae esse tres, Patientis verò subiecti, ut argenti viui vnius vnciae gradum vnum esse contrariarum qualitatum, Miscenda erit vna vncia calcis tribus vncijs argenti viui. Tot enim erunt gradus qualitatum agentium in vnica vncia subiecti agentis, quot patientium in tribus vncijs subiecti patientis. Quod si vnica vncia subiecti agentis centum, vel mille, vel plures vel pauciores essent gradus qualitatum agentium, miscenda esset hæc vnica vncia centum vel mille, vel pluribus, vel paucioribus argenti viui vncijs. Sic igitur æstimanda est æquabilitas qualitatum contrariarum. Sed huiusce proportionis certa non potest tradi regula. Sola experientia & oculorum iudicio decerni potest. Neque tamen quòd dixerimus calcem, oleum, aut lapidem philosophicum intensis qualitibus caloris, siccitatis & tenuitatis præpollere, existimandum est ipsa à temperamēto recessisse. Id enim comparatè dictum est, si argenti viui & metallorum imperfectè mistorum qualitibus comparentur.

Alioqui illa absolutè & simpliciter accepta temperatissima sunt, & æquales omnes illorum qualitates & vires, Idcirco ab igne non dissoluuntur, hæc verò ob intèperiem dissolutioni sunt obnoxia, nisi ad temperamentum argenti vel auri reducantur & perficiantur beneficio mitionis illorum.

14. Illud quæri potest an ex imperfectè mistis metallis possit prolici calx, sal, oleum, & ex oleo spiritus sublimari, & figi, vt ex argento & auro fieri diximus, Et an eadem mista argento viuo & metallis imperfectè mistis possint ea ad temperamentum reducere & perficere. Sanè illa prolici posse eadem arte qua ex argento & auro certum est, Sed ad temperamentum imperfecta reducere & perficere, est impossibile. Causa est, quòd in solo argento & auro vis seu proprietas argētifica & aurifica insita est à natura, quæ à sola forma proximè proficiscitur.

An ex metallis imperfectè mistis arte prolicita vim argētificam & aurificam habeant.

15. Hæc, quæ de mitione disseruimus, paucos aut neminē animaduertisse video, quibus tamen ignoratis aut prætermisis haud facile erit aduersariorum

DE TRIPLICI PRÆPARAT.

E&P

argumenta hanc artem oppugnantia eluere, & operi practico manum admoventes necesse erit veluti cecos incedere. Quæ enim aduersus artem hanc afferuntur argumenta, similitudine mutationum, quæ conspiciuntur in animalibus & vegetabilibus, nituntur, quæ corrumpuntur, generantur, augentur aut alterantur. At argentum vinum aut imperfectè mista metalla nec corrumpuntur, nec generantur, nec augentur, sed alterata miscentur & vniuntur subiecto causæ efficientis & perficientis argentificæ aut aurificæ.

FINIS.





